Capita XII. Reformationis proposita, consideranda Patrib. die XI. Martij 1562

I Considerent Patres quae ratio iniri possit, ut Patriarchæ, Archiepi, Episcopi et cæteri omnes animarum curam habentes in suis Ecclesijs resideant, et ab eis non nisi iustis, honestis, necessarijs, et Ecclesiæ Catholicæ utilib. de causis absint.

II Item an expediat ut nemo ordinetur ad sacros ordines, nisi ad certũ aliquem beneficij titulum. Compertum est enim multas cõmitti fallacias, ex eo quod pleriq. ad titulum Patrimonij ordinantur

III Et quod Ordinantes nihil omnino recipiant pro collatione quorumcunq. ordinũ neq. etiam eor. ministri, aut Notarij

IV An sit eisdem concedendũ ut de præbendis non servientiũ possint distributiones quotidianas constituere, in illis Ecclesijs, in quib. nullæ sunt distributiones, aut ita tenues, ut negligantur

V An Parochiæ omnes, quæ ob suam amplitudinem plures requirunt sacerdotes, plures etiam debeant habere titulos, ab Ordinario instituendos

VI Beneficia quoq. curata quæ idonea provisione victus sacerdotalis carent, an sint reformanda ita ut ex plurib. titulis, unus tantum ab Ordinario constituatur

VII Cũm Rectores Parochialiũ multi sunt parum idonei, qui vel ob imperitiam, aut vitæ turpitudinem destruant potius, quam edificent subiectũ sibi gregem, et deteriores aliquando habeant Vicarios. videndũ est quomodo huic malo medendum foret. Num expediret eis dari Coadiutorem, sive Vicariũ idoneũ cum assignatione fructuum arbitrio Ordinarij

VIII Ordinarijs an sit concedendũ, ut beneficia, et capellas vetustate collapsas, quæ ob paupertatem restaurari nequeunt, in matrices Ecclesias transferre possent

IX An decernendũ sit beneficia cõmendata etiam regularia visitari ab Ordinarijs et corrigi

UGR Biblioteca Universitaria

X Matrimonia clandestina an in futurū debeant declarari irrita esse et nulla.

XI Quæ conditiones sint declarandæ ad Soc. ut matrimoniū non dicatur clandestinū, sed in facie Ecclesiæ contractum.

XII Deniq. magnopere considerandū esset quid constituendū sit circa quæstor. non parvos abusus